

## No. 260. 1284. 5. Juni.

*Die Markgrafen Otto und Conrad von Brandenburg ersuchen den B. von Meissen alsbald zwei seiner Domherren nach Magdeburg zu senden, um ihren Bruder, den Erzbischof Erich, dem sie die Entscheidung der zwischen ihnen und dem B. obwaltenden Streitigkeiten übertragen, mit Rath zu unterstützen.*

Venerabili in Christo patri domino episcopo ecclesiae Misnensis Otto et Conradus dei gratia marchiones Brandenburgenses paratam in obsequendis omnibus voluntatem. Quia causam, quae inter vos ex una et nos parte ex altera vertitur, venerabili domino Magdeburgensis ecclesiae archiepiscopo E. fratri nostro karissimo terminandam commisimus, volentes libenti et grato animo observare, quae inter vos et nos arbitrando statuerit, etiam si grandia nobis diceret facienda, dominationis vestrae reverentiam duximus studiosis precibus exorandam, quatinus propter deum et totius servitii nostri intuitu duos canonicos de ecclesia Misnensi ad fratrem nostrum episcopum praedictum mittere subito dignemini in Magdeburg, ut eorum mediante consilio et auxilio omnem rancoris et dissensionis materiam inter nos habitam valeat terminare, hoc amore nostro attendentes, quod adhuc vobis poterimus servitia exhibere. Ut enim omnia, quae idem frater noster archiepiscopus arbitrando statuerit super huiusmodi causa, rata et grata teneamus, ad hoc nos praesentibus obligamus. Ad huius evidentiam praesentem litteram sigilli nostri munimine duximus consignandam. Acta et data sunt haec in Rogezt anno domini M°. CC°. LXXXIII°. in die sancti Bonifacii martyris.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden; das Siegel fehlt.

## No. 261. 1284. 26. Sept.

*Bischof Withigo verfügt, dass ein von ihm erkaufte Grundstück zu Gisbotsleben (Weidicht mit einem unfriedigten Garten) nach seinem Ableben der Kirche des h. Stephanus zu Mainz zufalle.*

Nos Withigo dei gratia Misnensis episcopus recognoscimus et tenore praesentium publice protestamur, quod hereditatem salicti cum horto incluso, sito in Gisbotsleibin<sup>a)</sup>, horto solvente autem annuatim ecclesiae sancti Stephani in Moguntia unum talentum Erphordensis monetae, a domino Gerhardo milite de Gisbotsleibin comparavimus pro XI marcis argenti; quod salictum ad tempora vitae nostrae volumus possidere. Nobis autem de praesentis vitae medio evocatis, dictum salictum ecclesiae sancti Stephani damus et legamus, volentes, ut ad ecclesiam ipsam, tamquam ad dominum et heredem proprium, pro remedio nostrae animae pure et simpliciter revertatur. In cuius rei testimonium praesens scriptum dictae ecclesiae dedimus sigilli nostri munimine roboratum. Datum Moguntiae anno domini M°. CC°. LXXXIV°. VI°. Kal. Octobris.

de Gudenus cod. diplomat. II. p. 238.

a) Gispersleben bei Erfurt.